



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

IV. Vtrum Religiosus teneatur sub præcepto ad non contemnendam
regulam, & consequenter an teneatur ad progrediendum in via
perfectionis secundum regulam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

legislator quantumcunque nolit se obligare, teneatur seruare legem à se latam ex illo principio naturali, *Patere legem, quam ipse tulerit*. Vel sicut dispensatus in lege positua valide & sine causa, peccat, saltem venialiter, vtendo dispensatione ratione illius principij, *Turpis est pars*, &c.

XII. Sed hæc sententia mihi nō placet, quia repugnat menti & intentioni talium religionum, & authorū earum, & inuites reddit conatus eorū: quid enim refert propter maiorem securitatē, & ad tollendos laqueos nolle directē obligare ad culpam veniale, si eo ipso necessariō inciditur in eandem obligationem alio titulo, præsertim cum id sine sufficienti fundamento dicatur, vt ostendam. Dico ergo, facile intelligi posse in hac transgressionē, per se loquēdo, non esse culpam venialem, licet per accidens frequenter incurratur. Declaro vtrumque distinguēdo duplicem transgressionem, per commissionem, vel omissionem: & in vtraque distinguendo duo, scilicet opus, & quod sine licentia fiat, & omittere petitionem licentiæ ad id faciendum. Quando ergo actus qui fit, est prohibitus per regulam, & supponitur nō malus de se nec per Ecclesiasticam prohibitionem (alioqui habebit aliunde malitiam non ex regula) tunc considerandum est motiū propter quod fit talis actus: nam si illud re vera est honestum, actus nullum peccatum erit; quia sola oppositio ad regulam, vel omisio petitionis licentiæ, non est circumstantia sufficiens ad vitandum actū, cum non sit talis prohibitio, quæ ex intētionē prohibentis reddat actum malum, quia hoc ipse declarat cum dicit nolle obligare in conscientia. Quia verō ratiō contingit religiosum operari ex motiū honesto quando operatur contra regulam, sed ex aliqua otiositate, vel delectatione; ideo frequenter hoc non fit sine culpa veniali.

XIII. Idem cum proportionē dicendū est de omissionē regulæ contrariæ, nam ex illo capite non est mala solum quia prohibita, & ideo non est per se mala: per accidens autem erit ex voluntate quæ est voluntaria. Quod duobus modis esse potest, scilicet, vel in actu positiuo, qui est causa eius, vel in se. Priori modo iudicanda est iuxta qualitatem actus: vt si quis omittat orationem hoc tempore iniunctam per regulam propter studium, considerandum est quo motiū vacetur studio: nam si fit honestum, & cum aliis circumstantiis intrinsecè requisitis ad talē actum, ex solo capite illius omissionis non est malum, quia ipsa omisio per se mala nō est, & ita nullum ibi interuenit peccatum. Quia verō motiū honestum non inducit ad agendum contra regulā, ideo frequenter talis actus est culpabilis ratione extrinseci huius. Quod si omisio consideretur vt in se voluntaria, subdistinguedum est, nam potest esse voluntaria tantū indirectē, quia non aduertit, quāuis posset: & tunc censio semper excusari omnem culpā in tali omissionē, etiam si interueniat aliqua negligentia in considerando; quia hæc ipsa negligentia, licet sit minus perfectā, nō est mala, quia nec est intrinsecè mala, neque interuenit prohibitio, quæ reddat illam malam. Imō, licet illa inaduertentia vel negligentia proueniat ex præcedēte occupatione alias culpabili, non fiet inde omisio mala: quia illa præcedens culpa non est causa talis omissionis, & licet sit causa eius, non inde aggrauatur in malitia sua, cum aliunde ipsa omisio in se mala non sit. Potest denique ipsa omisio esse directē & in se voluntaria, vt si quis nolit, v.g. orare: & tunc licet obiectum illius volitionis non sit malum, quia illa omisio in se mala non est: de ipso tamen actu volendi seu nolendi, prout in indiuiduo fit, iudicandū est iuxta motiū eius. nam si fit honestum, etiam voluntas erit honesta: si autem fit turpe, erit voluntas mala: si denique sit indifferens, vt delectatio ali-

qua, vel fuga alicuius laboris, actus erit in indiuiduo otiosus, & consequenter peccatum veniale. Et huiusmodi frequentius esse solēt tales omissiones, sunt enim ex quadam animi repiditate ad superandam aliquā difficultatem; & ideo practice vix sunt sine aliqua culpa veniali, non propter obligationem regulæ, sed propter irrationabilem volendi, vel nolendi modum in indiuiduo. Quod patet, nam in actibus etiam confiliorum contingere potest hic modus peccandi venialiter, vt si quis directē nolit esse religiosus otiosus, & sine vlla rationali causa habendo hunc actum.

Idem iudicium est de omissionē petendi licentiæ, quæ semper coniungitur cum huiusmodi regulæ transgressionē, imo in illa maxime consistit. Nam si actus præscriptus à regula omittitur, vel contrarius heret cū licentia Prælati, non esset transgressio, ergo si quid malitiæ est in tali actu, videtur maxime consistere in non petenda licentia. Considerandum ergo est, quomodo omittatur eius petitio, an directē, vel indirectē, & applicanda est doctrina tradita: nam hæc etiam omisio in se mala nō est, cum obligatio ad talem licentiam petendam solum sit ex regula, quæ ad culpam non obligat, vt supponimus. Potest etiam interdum contingere, vt petita licentia, & non obtenta quis operetur, vel mittat contra regulam: & tunc est nonnullum periculum contemptus, de quo statim disputabimus sequenti cap. sedulo autem contemptu, etiam tunc non est per se mala illa operatio vel omisio, sed iudicandum de illa est iuxta motiū operandi, & regulas positas; quia etiam tunc actus non est intrinsecè malus, neque etiam interuenit sufficiens prohibitio, quæ illum reddat malum: suppono enim Prælatum negando licentiam non imponere nouum præceptum obligans in conscientia, nam tunc esset noua obligatio, sed non ex vi regulæ.

Ad rationem ergo dubitandi respondetur, membrum communitatis obligari quidem ad seruandas leges communitatis, nō tamen aliter quā illæ obligent: si ergo illæ ita sunt impostæ, vt in conscientia non obligent, nemo suscipit maiorem obligationem eo quod talem statum profiteatur. Ad confirmationem respondetur, cum dicitur turpem esse partem, &c. si per hoc significetur operatio contra rectam rationem, intelligendum esse illud principium quando pars non conformatur toto in obseruatione legis obligantis in conscientia, quia tunc huiusmodi lex continet rectitudinem rationis necessariam ad honestatem morum; & ideo in presenti nō habet locum hoc principium ita intellectum, sed ad summum potest dici religiosus transgressor regulæ esse imperfecta pars, atque adeo turpis latiori modo, quia imperfectio latius patet quā venialis culpa. Posset etiam incurrere turpitudinē peccati ex illo principio ratione scandali, & infamix religionis, & pro illius qualitate erit maior vel minor turpitudine. Denique alio etiam modo potest hæc pars turpis vocari, si velit ita esse transgressor regulæ, vt non subiaceat poenæ seu disciplinæ religiose: nam in hoc iam discordaret à toto in eo, ad quod in conscientia tenetur, vt supra explicatū est.

CAPVT IV.

Verum Religiosus teneatur sub præcepto ad non contrariam regulam, & consequenter an teneatur ad progrediendum in via perfectionis secundum regulam.

Communis sententia Doctorum est, quāuis religiosus non peccet per se transgrediendo regulam, si tamen id faciat ex contemptu, esse peccatum mortale.

mortale, etiam in minimis. Quamvis enim hoc vltimum non omnes asserant, tamen D. Bernard. qui videtur esse precipuus author illius sententia; ita expresse loquitur in lib. de precepto & dispensatione, eumq; absolute sequuntur D. Thom. dist. 2. q. 186. art. 3. & hinc forte in constitutionibus vbi Ordinum cum fape dicatur eas ad mortale non obligare, semper exceptio fit de contemptu. item Bonau. to. 1. opus. lib. 2. Pharetra; c. 44. & plures alij quos reguli in opere de Legibus lib. 3. c. 28. num. 2. Explicans autem D. Thom. hunc contemptum, ait transgressionem regulæ non obligare ad mortale, nisi propter contemptum regulæ; quia hoc directè contrariatur professioni, per quam aliquis vult regulare vitam: vnde sentit tunc aliquid in particulari fieri contra regulam ex contemptu, quando simpliciter tuta regula contemnitur, & ex illo absoluto contempnuntur etiam regulares transgressionēs. Per contemptum autē regulæ videtur D. Thom. intelligere absolutum propositum non seruandi illā seu viuendi ita liberè ac illa non effert. Quod apertius declarat in solutione ad tertium, dicens, *Tñ. aliquis transgreditur ex contemptu, quando volumus ac eius renuissimus regula, & ex hoc procedit ad faciendum contrarium regulæ.* Sentit igitur D. Thom. hunc actum, *Nolo tuare regulam*, in religioso esse peccatum mortale, & consequenter teneri religiosum ex vi suæ professionis ad habendum propositum seruandi suam regulam: quam obligationem fundat in voto, quod religiosus facit regularis vitæ. Et hinc q. 154. art. 5. ad secundum dicit religiosum nō proñteri se esse perfectum, sed tendere ad perfectionem; & ideo non esse mendacem licet imperfectus sit: committere autem mendacium & simulationem ex eo quod ab intentione perfecti omni animu renouat. Et quamuis non declaret illud mendacium esse peccatum mortale, tamen id plane sentit, quia tale mendacium efficit eōra votum in materia graui. Vnde Caiet. ibi, *Fales (inquit) videtur in ista peccati mortalis in lieta ha. poni tanquam mendaces & simulatori: scilicet.* Et infra declarat, vt non reuocetur animus religiosi ab intentione proficiendi, necessarium esse vt religiosus habeat intentionem viuendi secundum regulam & constitutiones; idque satis effe, quamuis in multis interdum delinquit. Sequitur hanc doctrinā Astenfis lib. 6. Summ. tit. 47. quem refert & sequitur Angel. verb. *Religiosus*, nu. 27. Armill. verb. *Religiosus*, num. 3. Tabiena num. 4. Et idem sentit Nauarr. Comment. 1. de Regulārib. item. 10.

Potest hęc sententia confirmari primò ex modo viuendi multarum religionum. Nam iuxta regulam S. Benedicti, cap. 55 qui proficitur, promittit stabilitatem suam, & conuerſionem morum suorū, & obedientiam coram Deo & sanctis eius. Vbi Turrecem aduertit, tria substantialia monachice professionis tibi tangi, scilicet stabilitatem, conuerſionem morum, & obedientiam. Hęc autem conuerſio morum, quam etiam Carthusienses, & alij promittunt, vt como præced. annotauimus, semper intelligitur secundum regulam : quia religiosus non tenetur ad eos mores supererogationis, qui non continentur in sua regula, vel ad illam non reduciuntur, vt eodem tomo tractando de obedientia diximus, & in particulari de Minoribus explicauit Nicolaus Pap. in c. ex it. ver. *quam intellexim de verb. signif. in 6.* & Clemens in Clement. *Exm. i. us. tit. com. tit. & in forma profitendi S. Francisci ita fit, promissio seruandi regulam fratrum Minorum viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate: ergo ex vitalis professionis tenetur religiosus habere propositum seruandi regulam. nam hoc ipsum est propositum tendendi ad perfectionem, quia nõ tenetur aliter tendere, quam seruando regulam, vt notauit Caiet. dist. art. 9.*

Confirmatur ex modo loquendi Patrum. Nam

Hieron. epist. 1. ad Heliodorum, Tu iugiter perfectum te fore pollicuit es, nam cum derelicta milita (scilicet seculi) te castris propter regnum celorum, quid aliud quam perfectum sequi uis es? perfectus autem seruus Christi uisibiliter Christum habet, aut si quid prater Christum habet, perfectus non est; & si perfectus non est, cum se perfectum fore Deo pollicis est, ante Deum mentus est; uis autem quod mentitur, occidit animam. Vnde idem Hieronym. epist. 8. ad Demetriadem dicit, non progredi in uia perfectionis, regredi se. Quomodo loquitur etiam Bernard. serm. 2. de Purific. Hoc enim ideo uerum esse potest in eo qui desinit ab intentione progrediendi: nam in executione ipsa non possumus semper proficere. Vnde idem Bernard. epist. 253. Monacha inquit Non vis proficere, ergo vis desicere.

Vltimo confirmari potest hæc sententia, quia regula religionis inducit ex suo genere aliquam obligationem in conscientia, vt cap. præced. dictum est: ergo licet illam transgredi in singulis semper sit in executione tantum peccatum veniale, quia materia est levis; intentione & proposito totam illam cõtemnere, erit peccatum mortale, quia obiectum illud est materia valde grauis. Quæ ratio magis vrgere videtur pro his religionibus, quarum regulæ obligant non solum ad pœnam, sed etiam ad aliquam culpam.

Nihilominus esse potest secunda sententia, negans esse peccatum mortale habere animum libere vivendi absque observatione vel cura aliqua servandi regulam, nisi in his tantum rebus, in quibus ipsa obligat sub peccato mortali, id est, in tribus subtilitatibus votis, vel in quolibet alio, si fortasse in particulari religione sit, & in specialibus præceptis rigorosis & graubus, si quæ fuerint expressa in regula, iuxta principia capite superiori posita. Nam si malum propositum seu contemptus ad hæc etiam extendatur, manifestum est esse peccatum mortale, non solum ex modo, sed etiam ex obiecto, imò non tantum simplex mortale, sed virtute multiplex, vtpote contrarium multis votis & præceptis. Cum prædicta verò limitatione, illud propositum non esse peccatum mortale, probatur primo, quia neque est contra votum, nec contra præceptum aliquod diuinum, aut humanum. Prima pars probatur, quia in professione religionis, per se ac præcisè loquendo de statu religionis vt sit, tantum sunt tria vota, nam illa tantum sunt de substantia illius status. Vnde, licet promittatur cōuersio morum, non est illa promissio intelligenda tanquam votum distinctum ab illis tribus, sed tanquam confusè & quasi collectiue continens illa tria. Quia non promittit quæ aliam cōuersionem, nisi quæ exercetur seruando paupertatem, castitatem, & obedientiam: in qua obedientia regula includitur, quia non sit specialis promissio seruandi regulam, nisi quatenus sub obedientiam cadit, vel quod perinde est, solum sit promissio obediendi secundum regulam. At verò illud propositum non est contra aliquod ex his tribus votis, vt ex obiecto & limitatione eius à nobis explicata constat: ergo. Secunda pars probatur, quia vel illud ius est diuinum positum, & hoc offendi non potest: vel est naturale; & hoc non, quia illud propositum non habet ex obiecto intrinsecam malitiam, præsertim mortalem, quia non est de actibus per se malis, sed vel de indifferentibus, vel etiam de bonis, quamvis minus perfectis, imò interdum includere potest actus perfectiores, quam in regula continentur, vel permittantur, vt si quis proponat ieiunare etiam quando regula prohibet, vel vigilare quando præcipit dormire.

Dices, supposita professione & incorporatione *Eufasio* re-
tum religione quæ per illam fit, esse contra rationem *fellunt*.

naturale nolle viuere secundum regulam eius. Sed contra, nam in precedenti capite ostensum est, hac obligationem non esse maiorem, quam ex ipsa regula nascatur, nam ratio naturalis solum precipit seruare regulas communitatis in eo gradu obligationis, in quo ipsa lata fuerint: sed tota regula etiam collectiue sumpta non est posita cum obligatione ad mortale: ergo nec ratio naturalis obligat illo modo ad seruandam illam. Probatur minor, quia in tota collectione regularum non est alia obligatio nisi quae confurgit ex singulis particularibus regulis: quia author regulae non intendit vnam obligationem pro tota regula collectiue sumpta, & singulas in singulis regulis, sed per vnamquamque regulam imponit suam obligationem, ex quibus confurgit totius regulae obligatio, quae reuera non est vna, sed est multitudo obligationum particularium. In illa autem multitudine nulla in particulari est quae sit sub mortali, vt supponimus, quia vel in regula non est, vel si est, non includitur in illo proposito. Ex multitudine autem obligationum leuium, praesertim diuersarum legum & rationum non confurgit vna obligatio grauis in conscientia. Quod est euidentius, quando singulae regulae neque ad veniale obligant: nam cum in singulis nulla sit obligatio in conscientia, omnes etiam simul non habent obligationem in conscientia; ergo multo minus possunt efficere vnam obligationem grauem. Idem verò est, etiam si regulae singulae obligent sub veniali, quia multa venialia non efficiunt vnum mortale, iuxta doctrinam certam 1.2. quaest. 88. & 89. transgressionem autem talium regularum tantum sunt plura peccata venialia, nec inter se cohaerent quasi ad componendam vnam obligationem, vt dixi, sed tantum multitudinem discretam: ergo neque vnam culpam grauem efficere possunt, sed multitudinem leuium. Nec refert quod illa multa leuia vno proposito apprehendantur, quando inter se non viuunt in vna materia graui eiusdem vitii, vt sunt multa furta leuia; quia alia non efficiunt vnum malitiam grauem, sed habet plures leues ex variis obiectis, quae virtute apprehendit. Imò licet fingatur illa esse vna malitia, erit tantum venialis ex vi regulae; quia, vt supponitur, author regulae simpliciter noluit per illam obligare ad mortale in quacunque materia etiam aliis graui, & nihil distinguit inter singulas regulas, vel totam collectionem earum. Et hinc probata manet tertia pars de lege humana, quia in praesenti non interuenit alia nisi regula, nam ex vi illius precise loquor: sed regula non affert hanc obligationem, vt ostensum est, ergo.

Tertium
membrum.

VII.
Consi-
ma-
sur p-
mo
eadem
p-
negati.

Et confirmatur hic discursus, nam si illud positum formale esset peccatum mortale, etiam per solam executionem ac diuturnam consuetudinem licentiose viuendi sine obseruatione regulae perueniretur ad statum peccati mortalis, quod admittere durum & perniciosum esset: ergo. Propter hoc fortasse Caiet. dict. 2.2. quaest. 184. articulo quinto diligenter aduertit, loqui D. Thomam de intentione vt distinguitur ab executione: quia deficere (inquit) a perfectione executionis, non est simulare, aut mentiri: deficere autem ex intentione, est simulare, aut mentiri, & ita virtute negat dictam illationem. Rationem autem illius differentiae reddit, quia status Ecclesiasticus significat directe intentionem existentium in statu, & non executionem. Quod inde colligit, quia status ille à principio habet suam significationem, cum tamen à principio non possit significare executionem, sed solam intentionem. Sed in primis probatur nostra sequela, quia in moralibus perinde valet consensus virtualis & indirectus, ac formalis & directus: sed qui scit & videns longo tempore deficit ab obseruatione

totius regulae, habet plus quam virtualem consensum non proficiendi in perfectione secundum illam regulam: ergo si formalis consensus est peccatum mortale, etiam ille est peccatum mortale & committitur tunc peccatum mortale quando quis incipit praeuidere suum statum, & non vult remedium adhibere, sed voluntarie continuare; sicut dici solet de illo, qui leuia furta committens, praeuidere incipit iam consergere materiam grauem. Deinde illa differentia à Caietano assignata nimis speculatiua & voluntaria videtur: nam exterior habitus vel status magis debet significare exteriorem vitam, quam intentionem, vel cur potius hanc, quam executionem? Nam à principio significabit initium executionis, & deinceps progressum eius: Et praeterea admissa differentia, & illo mendacio, non esset mortale ex obiecto, quia non est mendacium contra votum, vt ostendimus: neque etiam est mendacium perniciosum, cui enim nocumentum inferat, per se loquendo? Tandem nullum profectò mendacium esse videtur: quia exterior habitus vel status nec intentionem, nec executionem per se significat, sed obligationem regulam accommodatam.

Quod declaratur, & confirmatur, nam alias sequitur etiam Episcopos peccare mortaliter, si habeant intentionem non viuendi perfectè, nec exercendi opera supererogationis, sed tantum seruandi praeccepta, & rigorosas obligationes voti, aut officii: consequens est falsum; ergo. Sequelam admittit Caietanus, quia D. Thomas ibi indifferenter loquitur de religiosis, & Praelatis, & de vrisque ait mendacium & simulationem committere si deficient intentione perfectionis. Consequens autem est incredibile, tum quia nullum apparet fundamentum talis peccati mortalis, & asserendum non est, nisi vbi ratio, aut lex cogitur: etiam, quia hoc esset damnare quampures, vel fortasse ordinariū modum viuendi Praelatorum, satis enim fecisse putat, si singulis praecceptis & obligationibus iustitiae, misericordiae, castitatis, & similibus satisfaciatur, nec prudentes & pii etiam confessores plus ab illis exigunt. Imò si illa ratio simulationis, aut mendacii sufficeret ad peccatum mortale, non solum deficendo ab intentione, sed etiam ab executione perfectionis, peccaret mortaliter. Quin etiam prohibendo illum statum sine perfectione, mortaliter peccaret. Probatur, quia ille non est status acquirendi perfectionem, sed hominis iam perfecti, vt supra declaratum est: ergo qui accipit illum statum, cum non sit perfectus, simulat, & mentitur, quia ille status non significat intentionem proficiendi, sed vnum iam perfectum.

Tandem confirmatur, quia alias sequitur, esse in statu peccati mortalis illum religiosum, qui habet deliberatum animum non seruandi vnam, duas, aut tres ex suis regulis, etiam si ceteras seruare studeat ordinario modo. Consequens etiam est durum & incredibile: suppono enim illas regulas non obligare ad culpam, vel non ad mortalem. Sequela patet, primò ex eadem doctrina Bernardi: nam frangere quamcunque regulam ex contemptu illius, est peccatum mortale: ille autem est contemptus talis regulae, si enim propositum non seruandi totam regulam collectiue, est contemnere illam; propositum etiam non seruandi hanc regulam, vt g. ieiunandi sexta feria, aut examinandi conscientiam quotidie, est contemnere illas singulares regulares: ergo est peccatum mortale. Probatur item sequela, quia illud sufficit vt aliquis deficiat ab intentione proficiendi secundum regulam, vel quia illa sunt tam necessaria ad perfectionem, vt moraliter non possint acquiri sine obseruatione illarum, vt est regula de quotidiana oratione, vel conscientiae examinatione, & similes: vel certe, quia totum & perfectum iuxta

iuxta Philosophum idem sunt. Qui ergo non habet intentionem seruandi totam regulam, sed potius contrariam, plane non intendit esse perfectus secundum illam: ergo.

Duplex praesertim difficultas enodatur, ac tota controuersia per partes dissoluitur.

X. Hæc sunt quæ difficile reddunt doctrinam illam D. Thomæ: in qua explicanda desidero nec laqueum religionis iniicere, imponendo periculum peccandi mortaliter ubi reuera non sit: neque etiā eis occasionem tribuere ut remisse uiuant, & ueris periculis peccandi mortaliter se exponant. Duo ergo explicanda sunt. Primum de obligatione habendi intentionem proficiendi, aut uiuendi secundum regulam. Secundum de transgressione regulæ ex contemptu. Circa priorem partem dico in primis, religiosum absolute teneri ad progrediendum aliquo modo in via perfectionis. Probatur, quia ex vius professionis tenetur uelle seruare statum, qui secundum se est in consilio tantum, & non in præcepto: sed hoc ipsum est intrinsece uelle tendere ad perfectionem: ergo. Explicatur minor, quia ut tendatur ad perfectionem, non est necesse ut omnibus medijs uilioribus ad charitatem obtinendam, sed satis est ut aliquibus de se non præceptis: nam ut omnibus uix est mortaliter possibile, uel saltem est rarissimum. Vnde Syluest. verb. Rel. g. 1. q. 1. 3. postquam proposuit doctrinam S. Thomæ, subdit, habere locum quando religiosus omnia media ad illum finem sibi uult abdicare, nam si unum retineat, non est extra statum salutis: quia licet teneatur ad intentionem tendendi, non tamen currendi ad perfectionem. Indicat autem necessarium esse ut retineat propolium utendi aliquo medio, quod non sit in præcepto.

XI. Hoc autem potest intelligi uel quod secundum se spectatum non sit in præcepto, & sic est uerissimum, quia via perfectionis debet aliquid addere uitæ communem uiam mandatorum. Alio uero modo potest intelligi de præcepto etiam respectu ipsius religiosi, ita ut præter ea quæ ratione uotorum, uel ex rigoro præcepti regulæ, aut Superioris facere tenetur, debeat necessario intendere aliquid sibi non præceptum adiungere. Et hunc sensum uidetur ille author intendere. Difficile autem probari potest, quauis id peculiare opus nimis onerosum non sit: nemo enim est tam dissolutus, qui non soleat aliquid supererogationis facere. Sed nihilominus in rigore cum nulla sit obligatio intendendi magis unum opus quam aliud, neque omnia simul, neque aliquid determinate ex his, quæ huic personæ præcepta non sunt, non apparet unde teneatur ad intendendum aliquod in consilio, uel suo arbitrio eligendum. Præterea, quauis religiosus per votum efficiat sibi præceptum quod alias erat consilium, nihilominus seruando votum illud, implet etiam consilium, & tendit per viam perfectionis, alias seruare castitatem, & paupertatem religioso voto confirmatam, non esset tendere ad perfectionem, quod planè absurdum est. Agitur ad implendam obligationem in assertionem positam, satis esse uidetur quod religiosus intendat seruare sua uota integrè prout in tali regula sunt, & cetera omnia specialia præcepta suæ religionis, præter communia. Patet, quia si hoc faciat, uerò tendit ad perfectionem: ergo si hoc præcise intendat, etiam intendit tendere ad perfectionem, etiam si non intendat currere, ut aiebat Syluester.

XII. Dico ergo secundo, per se loquendo & ex vi ob-

iecti non teneri religiosum sub peccato mortali habere propositum seruandi omnia, uel aliqua ex his, quæ nec promittit, nec sibi specialiter præcepta sunt: quauis moraliter loquendo, uix fieri possit, ut habeat debitam intentionem salutis propriæ, quin hoc etiam intendat.

Prior pars uidetur sequi ex proximè dictis circa præcedentem assertionem, & conuinci argumentis secundo loco factis: non enim possumus imponere obligationem sub peccato mortali sine voto, uel præcepto, de quo satis constat. Item cum illo proposito fiat amor Dei super omnia: quia relinquit hominem cum affectu de se efficaci non recedendi à Deo ut ab ultimo fine propter ullam rem mundi: quod satis est ad amorē super omnia: ergo illud propositum non est peccatum mortale ex obiecto suo. Nam peccatum mortale euidenter pugnat cum amore Dei super omnia. Posterior pars probatur, quia uix potest moraliter contingere, ut homo etiam secularis habeat firmum propositum nunquam peccandi mortaliter, quin consequenter nonnulla opera supererogationis faciat, & habeat formale, uel virtuale propositum illa faciendi: quia sicut substantia creata non potest sine omnibus accidentibus conseruari, ita nec substantialis charitas & amicitia Dei potest sine aliquibus operibus, quæ sint extra substantiam eius, existere. Ergo seruata proportione non potest religiosus habere firmum propositum seruandi omnia ad charitatem & ad perfectionem eius necessaria in tali statu, quin paratus sit multa in particulari agere bona & honesta, quæ præcepta non sunt: quia non possunt moraliter hæc ab illis omnino seiungi. Quod notauit Gerlon Dialogo de Perfectione cordis, p. 2. Alphab. 66. lit. H. ubi cum dixisset, qui statuit seruare præcepta, & non consilia, non esse in malo statu, quia nemo consiliis ligatur: addit, Quauis raro fiat, ut homines præcepta strenuè complant, quia quodammodo supererogent, & miscantur consilia.

Dico tertio, quando regula religionis ad nullum peccatum obligat, sed tantum ad poenam, non peccat mortaliter religiosus per se & ex vi obiecti, qui habet animum non seruandi quamcunque regulam, dummodo paratus sit ad sustinendam poenam. Probatur primo ex rationibus factis: quia in obiecto illius actus non est materia contraria alicui voto, uel præcepto. Secundo, quia ille uult subiacere regulæ eo modo, quo ipsa lata est: quia illa solum ordinat, ut hoc uel illud religiosus faciat, aut poenæ subiaceat: ille autem uult non facere quod ordinatum est, cum suo discrimine: ergo sufficienter subiicitur regulæ saltem quoad finem non laedendi conscientiam, esto imperfectissimus sit. Vnde si quis uellet ita esse liber à iugo regulæ, ut paratus non esset sustinere poenam, quantumcunque Prælati eam præciperet, uel ei resistere si necesse sit, ille sine dubio esset in malo statu, & peccaret mortaliter, tum quia habet dispositionem directè contrariam voto obedientiæ: tum etiam, quia resistit regulæ, non tantum ut mera lex poenalis est, sed etiam ut resoluitur in obligationem conscientie ex suo genere grauem, scilicet non resistendi Prælati iure suo utenti, & obseruationem regulæ procuranti. At uerò si quis sit ita remissus, ut secum statuatur non seruare regulam quoties occulte potuerit, uel aliter poenam vitare, uel certè quoties minus onus senserit in seruanda regula, quam insustinentia poenitentia, non apparet in hoc actu malitia mortalis ex obiecto. Maxime si alias proponat non peccare etiam uenialiter, dum regulam non exequitur, sed in aliis actibus honestis sibi suauioribus se exercere.

Secundum
pronuntiatur
tum bipartitum.

Suadetur
prior pars.

Suadetur
posterior.

XIII.

Tertium
pronuntiatur
tam.

Vnde probatur
1.
Probatur 2.

XIV.
An obliga-
tus ad solam
pauam re-
gulam pe-
cet in proposito
non seruandi
regulam,
statuendo
tamē subire
pauam.
Opinio cen-
sens esse ve-
niale.

Ita censet
Caiet.

Sed quæres, an in eo actu sit saltem culpa venialis, nam ex dictis videtur sequi nullam esse. Nam in obiecto illius actus ita circumspici & limitari non est intrinseca malitia etiam venialis, nec prohibitio in conscientia etiam sub veniali: ergo neque actus ipse per se culpabilis est venialiter. Dicitur aliqui, illud esse peccatum veniale, quia oritur ex proposito non operandi quod melius est, quod habet intrinsecam deordinationem, quia licet in particulari non facere quod melius est, non semper sit peccatum, tamen generatim proponere in actionibus vitæ non facere quod melius est, videtur esse intrinsece peccatum: quia est ponere obicem Spiritui sancto, & gratiæ Dei. quod sentit Caiet. 2. 2. q. 186. art. 2. non solum de religiosis, sed etiam de quibuscunque. Declarat autem non esse peccatum mortale, sed veniale tantum: quia in rigore non excludit dilectionem Dei super omnia. At vero religiosus volens illo modo non seruare regulam, vult non operari quod melius est: quia licet regula non obliget ad culpam, seruare illam melius est. Sed hoc non obstat quominus ille actus possit à veniali culpa ex vi obiecti excusari. Primo, quia resistere gratiæ Spiritus sancti vocanti ad meliora, non videtur esse peccatum, si alias sit propositum obsequendi illi in necessariis: quia Spiritus sanctus vocando ad opus consilij non ponit præceptum sequendi vocationem. Et ideo Christus ad perfectionem vocabat illis verbis. *Qui vult venire post me, vel. si vult perfectus esse.* Dices, licet non teneamur obedire huic gratiæ, tamen non ponere illi quasi antecedentem obicem: per illud autem propositum ponitur obex Spiritui sancto ne nos vocet ad meliora.

XV.
Ostenditur
multiplici-
ter nec ve-
niale esse, ex
se dictum
propositum.
Primo.
Secundo.
Tertio.

Quarto.

Quinto.

Sed contra, quia nec de hoc potest ostendi tale præceptum, cum totum hoc pertineat ad bona supererogationis. Item alias peccaret, qui deliberato animo statuit non esse religiosus: quia ponere obicem antecedentem vocationi diuinæ. Præterea reuera ille non est obex, quia Spiritus sanctus vocat ad mutandum illud propositum, & sæpe efficaciter id operatur. Accedit præterea quod religiosus de quo agimus, non vult semper resistere diuinæ gratiæ & vocationi, sed solum vult viuere suauiter (vt sic dicam) secundum suum statum, per quod non excludit quin si à Deo fortius tangatur, mutaturus sit propositum. Præterea non vult nunquam operari quod melius est, vel nunquam seruare regulam, sed vult non semper esse ad dictas regulas, vel perfectioribus consiliis; quæ duo valde diuersa sunt, licet contraria, vel contradictoria, & multo magis inordinatum est velle semper transgredi regulam, quam velle non semper & in omnibus seruare regulam. Et si moraliter loquamur, inueniri non potest religiosus ita rectus in substantialibus seu necessariis, vt illa illa seruare statuat, qui in reliquis sit ita remissus vt intendat nullam omnino regulam seruare, aut semper in omnibus transgredi: quod vix contingere potest sine contemptu, vt infra declarabo. Potest autem facile inueniri religiosus ita remissus, vt contentus necessariis, nolit de aliis esse sollicitus, & ideo statuat non semper regulam seruare, sed quando disciplina ipsa & ordo religiosus necessitate quadam morali compulerit, vel quando sine grauiamine & difficultate fieri possit. Denique cum hoc propositum etiam stat, quod talis religiosus velit in aliquibus actibus vel secundum regulam, vel ultra illam multa opera supererogationis & meliora facere. Et ad minimum cum illa vitæ relaxatione stat, vt velit intensius & frequentius amare Deum, quam teneatur: quod etiam pertinet ad opera consiliorum, & vix omitti potest ab eo, qui efficaciter statuit Dei amorem super omnia, vt no-

tauit Angelus in suis Moralibus. c. 8. §. Diuersorum finum. concl. 1. Igitur in illa intentione per se & ex vi obiecti nullum peccatum committi videtur.

Dico quarto, vbi regula obligat ad venialem culpam, & non ad mortalem, graue peccatum veniale est proponere frangere illam si occasio tulerit; tamen secluso periculo grauioris lapsus, & contemptu, non est peccatum mortale. Prior pars euidenter est ex suppositione talis regulæ: quia in particulari transgredi illam, est peccatum veniale, ergo & id proponere: ergo grauius est confute & indefinite id intendere, quia in illo obiecto maior malitia includitur, quam in qualibet particulari transgressionem. Imò (vt supra dicebam) dubitari potest an illa malitia sit vna, vel multiplex, quia videtur ibi esse tot malitiæ, quot sunt regulæ diuersarum virtutum: quia omnium transgressio implicite ibi continetur, & admittitur: quod satis esse videtur ad omnium malitias contrahendas; quod fortasse ita est. Facile tamen defendi potest esse vnam tantum contra generalem rationem obediendi legi. Sicut enim obseruationes omnium regularum conueniunt in hac generali ratione, ita transgressio regulæ vt sit præcisè opposita illi generali rationi, & quando intentione voluntatis in eam præcisè tendit, ab illa sumit vnam specificam malitiam, vt latius in 1. 2. explicatur.

Et nihilominus (vt secundam partem probemus) in proposito illa malitia non erit mortalis: quia omnes transgressionem, quæ sub illa generali ratione conueniunt apprehenduntur, veniales tantum sunt, & secundum proprias rationes non concurrunt propriæ ad vnam materiam grauis peccati componendam, sicut concurrunt plura sunt leuia, sed solum concurrunt secundum rationem communem: in qua conueniunt; quæ censetur grauius obiectum, quia in potentia & confute includit specificas malitias: hæc autem grauitas nunquam potest esse tanta, vt constituat peccatum mortale. Confirmatur, nam hac ratione cum homine seculari non est peccatum mortale cum proposito seruandi omnia rigorosa præcepta habere animum non cauendi venialia, vel facile committendi illa prout sese obtulerit occasio, secluso tamen periculo grauioris lapsus, & contemptu, in quo omnes ferè conueniunt, vt ex 1. 2. quæst. 88. constat: ergo idem est cum proportionem de religioso in dicto casu, quia omnes obligationes eius ex regula non excedunt peccatum veniale, vel si quæ sunt maiores supponimus illum habere propositum seruandi eas: est ergo eadem proportio.

Prior verò limitatio huius posterioris partis de exclusionem periculi grauioris lapsus, fundatur in illo principio, quod in moralibus exponitur se periculo peccandi est peccatum: nam qui amat periculum, peribit in illo: peccatum autem veniale est dispositio ad mortale, vt ait D. Thom. citato loco, & magis explicat 1. 2. quæst. 88. art. 3. dicens, veniale ex soleuitate materiam, vel ex defectu sufficientis deliberationis, directè disponere ad mortale circa eandem materiam: peccatum autem veniale ex genere indirectè ad mortalem & remouendo prohibens disponit ad mortale peccatum. Si ergo supponatur regula obligans sub veniali, intentio frangendi illam est virtualis intentio se disponendi ad grauiorem lapsum, non tantum remote, sed etiam proximè: quia licet vnum vel aliud veniale sit tantum dispositio remota, tamen frequentia illorum, & præsertim cum deliberatione negligendi illa, facile esse potest proxima dispositio ad mortale. Sed circa hanc partem aduertege oportet raro aut nunquam pec-

cari mortaliter ob huiusmodi periculum, nisi in particulari materia & specie peccati mortalis illud periculum veretur, & aliqua certa ratione & experimento constet ex remisso modo viuendi in obseruatione talis regulæ, vel in vitandis talibus culpis leuioribus sequi illud periculum: quia alias non est occasio proxima, sed remota, quæ non sufficit ad specialem culpam mortalem ex illo titulo: & ideo existimo raro contingere vt illa remissio animi in seruandis regulis leuioribus etiam directè voluntaria sit ex hoc solo titulo peccatum mortale: quia illa negligentia, per se loquendo, tantum est dispositio remota, nisi accedant aliqua particulares circumstantiæ, quæ in aliqua materia consumunt occasionem proximam.

XIX. Altera limitatio, quæ erat de contemptu, petit alteram partem superius propositam in num. 10. ex qua pendet maximè intelligentia opinionis D. Thomæ: quia ipse planè intelligit, non peccari mortaliter in illa remissione animi circa intentionem seruandæ regulæ, nisi perueniatur ad contemptum. Primum ergo difficile est explicare quis sit ille contemptus; & deinde an semper sit peccatum mortale, & ob quanti causam. Dicunt ergo aliqui, ipsam intentionem vel propositum non seruandæ regulæ eo ipso esse contemptum, quantum nullam aliam circumstantiam habeat. Quod significare videtur D. Thom. dict. q. 186. art. 9. ad 3. cum ait, *Tunc committitur aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius reuertitur subiecti ordinati legi, vel regulæ; ergo contemnere est renuere subiecti regulæ: renuere autem subiecti nihil aliud esse videtur quam non seruare regulam.* Sed hoc si intelligatur de contemptu, quid sit mortale peccatum, non potest esse verum nisi in illo obiecto includatur aliqua subiectio, ad quam homo teneatur sub mortali. Quod manifestè coniungitur rationibus supra factis: quia propositum non subiacendi se regulæ in his quæ grauitur non obligant, neque ex obiecto, neque ex voto aliquo, aut ex speciali prohibitione habet malitiam mortalem. Dico autem, nisi in obiecto includatur subiectio grauis, seu in re graui: quia, vt supra num. 13. dicebam, si quis proponeret non subdi regulæ, etiam resistendo superiori volenti ipsum cogere, vel iuste punire, in malo statu esset, ac mortaliter peccaret. Et fortasse hoc totum includit D. Thom. & ita erit facilis, & clara eius sententia. Nec immerito potest dici talis actus verus contemptus tam regulæ, quam Prælati: nam, vt Bernardus ait de præcepto & dispensatione, cap. 12. *Contemptus tumor superbia est: superbia autem maximè repugnat huic subiectioni, iuxta doctrinam eiusdem D. Thomæ 2. 2. q. 162. art. 5. & 6.* At verò si religiosus semper retineat intentionem seruandi omnia necessaria ex voto; vel præcepto, & subiacendi se Prælato, & religiosæ disciplinæ, non potest dici contemnere saltem grauitur, etiam si habeat intentionem non seruandæ regulæ in reliquis. Atque ita sentit etiam Caiet. dict. q. 186. art. 2.

Addit verò ibidem Caiet. illud propositum ex obiecto quasi materiali esse contemptum leuem, qui non excedit venialem culpam: quia est contemptus Dei, ex obiecto autem formali fieri peccatum mortale: vt si quis (inquit) *refugit subiecti diuini consilii, & profectus charitatis vt perficiat viam.* Ratio eius est, quia contemptus Dei est peccatum mortale, ex D. Thoma q. 15. de veritate, art. 5. sed tunc interuenit contemptus Dei, quia non subiaci diuinæ regulæ, est contemnere Deum: ergo. Sed vtraque pars indiget maiori explicatio- ne. Prior enim erit quidem vera, si regula obliget sub veniali culpa, alioquin si ad nullam culpam obli-

get, vel si sint tantum consilia, de quibus magis ibi Caiet. loquitur, non video quomodo ex obiecto materiali ille actus sit peccatum veniale, cum in obiecto nulla malitia sit: erit ergo indifferens actus ex sua specie. Cuius etiam signum est, quia potest honestari ex fine. Vnde etiam ex vi materialis obiecti non necessario includitur contemptus in illo actu: quia semper contemptus boni actus & perfecti, inordinationem dicit. Tunc ergo dici poterit aliquis contemptus, quando quis ex sola incuria & remissione animi sine illo iusto titulo negligit illa opera per directam intentionem, & ita sine dubio loquutus est Caietanus: & tunc verum est talem actum non excusari à culpa veniali.

In altera verò parte vix potest intelligi quid sit velle transgredi consilia vt consilia Dei sunt; aut nolle profectum charitatis vt perfectior via est. Nam si sit sensus reduplicatiuus, seu causalis, scilicet nolle sequi consilia quia consilia Dei sunt, & nolle profectum charitatis, quia perfectior via est: hic posterior actus videtur impossibilis, quia perinde est ac nolle bonum, quia bonum, vel quia melius est: quod tam repugnat quam velle malum quia malum est. Prior autem actus licet non sit impossibilis, est tamen adeo rarus & extraordinarius, vt vix credibile sit propter illum solum toties repeti à Doctoribus esse peccatum mortale transgredi regulam vel legem ex contemptu. Imò ille actus non videtur posse oriri nisi aut ex errore aliquo in fide, contemnendo consilia Dei tanquam minus bona, seu vera: vel ex odio Dei, nolendo sequi consilium eius in despectum illius: qui modus operandi magis videtur esse damnati hominis, quam viatoris. Quod si hic non est sensus, vix intelligitur quid sit renuere subdi consiliis, vt consilia Dei sunt. nam seclusa dicta causalitate in consilio vt consilio solum manet id, in quo distinguitur à præcepto, scilicet quod non imponit necessitatem. Hoc autem sensu nolle subdi consiliis vt consilia Dei sunt, non augeat, sed extenuat inordinationem, nam inde habet actus ille vt non sit intrinsecè & per se malus: quia non est de obiecto prohibito, sed solum consilio repugnante. Sicut qui vult committere peccatum aliquod quia veniale est, sumpta causali in dicto sensu non aggravat culpam, imò directè præseruat ne peccatum illud mortale sit.

Ad hanc difficultatem fateor transgredi consilia ex contemptu, non posse esse peccatum mortale; nisi vel supposito errore in intellectu prauè sentiente de consiliis diuinis, vel tam prauo affectu in voluntate, vt velit Deum ipsum spernere, aut res diuinas seu gratiâ ipsam pro nihilo habere. Vnde si tantum in hoc sensu dicitur religiosus peccare mortaliter transgrediendo regulam ex contemptu, verum & facile erit: parum autem ad praxim deseruiat, quia vel nullus est religiosus ita prauè affectus circa Deum & res diuinas, vel si quis est, ille non solum intendit regulam transgredi quoad consilia, seu simplices ordinationes, sed etiam quoad rigorosa præcepta & vota. Alio autem modo potest intelligi contemptus in religioso vel respectu Prælati seu religionis, vel respectu ipsius regulæ. De priori videtur maximè loqui Bernardus dict. lib. de præcepto & dispensatione. Nam cap. 12. distinguit mandatum à mandante, & grauitatem præcipuum constituit in contemptu mandantis. Eritque hic actus si quis nolit obedire Prælato, vt ostendat se illum pro nihilo ducere. quæ intentio sine dubio est peccatum mortale ex genere suo. Et simile esset si quis ex odio, aut ira contra suam religionem, vel personas eius intenderet quasi conculcare, vel profanare regulam:

XXI. Arguitur contra secū- dum mem- brum eiusdè distinctionis.

XXII.

Ducit ad thesaurum consiliorum Dei vt dei sunt vix contingens.

De alio duci modo potest intelligi contemptus magis contingens. Expeditur prior modus eiusdè causæ.

nam tunc transgressio minimæ regulæ hac intentione facta, esset peccatum mortale. Et hic modus operandi rarus etiam est, non tamen tam insolitus sicut præcedens.

XXIII.
Expediatur
posterior, &
eius causa
aperiatur.

Respectu verò regulæ posset esse proprius contemptus si quis formaliter eam dispiceret tanquam minus utilem ad suam perfectionem, & ob eam rem illam transgrediretur. In quo modo operandi non videtur necessario miseri error contra fidem, sicut de contemptu consiliorum dicebamus: quia licet regula sit approbata, solum inde habetur, & ex se continere viam aliquam ad perfectionem utilem: non tamen inde sequitur vel cuiusque personæ in individuo fore utilem, quia potest aliquis habere naturam illi repugnantem: nec sequitur esse utiliore alius regulis vel mediis ad perfectionem: ergo si religiosus concipiat contemptum suæ regulæ, vel solum comparatione suæ personæ, vel solum per comparationem ad alia media, quæ ipse sibi excogitat, & credit sibi fore utiliora, non se opponit approbationi Pontificis, nec directè errat in doctrina fidei ex vi illius contemptus. Neque etiam ex affectu odii, aut vindictæ, aut alio simili videtur esse in illo actu, per se loquendo malitia grauis: & ideo in transgressione regulæ ex huiusmodi contemptu non apparet malitia mortalis ex illa circumstantia, si aliunde non sit. Esse tamen potest magnum periculum illusionis & deceptionis, prout sancti passim aduertunt. Vnde Rich. de S. Victore cap. 9. super Cantica, *Vigilia* (inquit) *& orationes sunt tibi inimicæ, si singularitatem quandam in his tenas, per quam communis, & ad quæ magisteris, omittas.* Et Cassian. lib. II. de Institut. c. 13. *Quidquid (ait) in conuersatione fratrum minimè communis vsus respicit, vel exerceas omni studio vt iactantia deditum declinemus, &c.* & D. August. serm. 15. de verbis Apostoli, *Melius* (inquit) *claudus in via, quam cursor præter viam.* Quæ sententia licet de Apostatis ab Augustino dicta sit, optimè in præsentem accommodatur: nam modus quidam apostatis est communem relinquere regulam propter propriam adinventionem. Aliquando etiam oriri posset ex nimia præsumptione, & superbia, quæ tunc attingit rationem peccati mortalis, quando iuxta prudentis arbitrium exponit religiosum periculo retrocedendi, vel deficienti in necessariis ad statum suum, & nihilominus in suo iudicio & affectu perseuerat. Denique intentio generalis sit ex amore proprio & accidia, quidam contemptus regulæ est virtualis potius, quam formalis. Si tamen quis non solum intendat non esse sollicitus in obseruatione regulæ, sed etiam nunquam illam seruare, quauis facile possit, dispositio hæc vel est peccatum mortale, vel certe magna dispositio ad illud, & vix sine formali contemptu haberi potest.

*Satisfit argumentis ab initio capitis
propositis.*

XXIV.

Superest vt rationibus vtriusque partis in principio capitis factis satisficiamus, ne resolutioni à nobis datæ ob stare videantur. Sententiam ergo illam D. Thomæ & communem num. 1. propositam intelligendam censeo, vel quando intentio, non viuendi secundum regulam talis est, vt vel simpliciter totam regulam nihil distinguendo inter grauiā & leuiā, substantialia & accidentalia despiciat, vel quando talis est, vt omnino quis statuatur nec seruare regulam, nec subiicere religioſæ disciplinæ: vel certe, quando quis ita despicit regulam, non solum non intendat totam seruare, sed

etiam quasi positue intendat totam illam non seruare, ne illi subiectus appareat; extra hos verò casus non est peccatum mortale, nisi per accidens ratione periculi.

Neque plus probant confirmationes ibi adductæ. Nam prima in num. 2. sumpta ex modo proposita, promittendo conuersionem morum, aut obseruantiam regulæ, solum probat esse necessariam intentionem subiiciendi se regulæ in eo gradu in quo ipsa proponitur: nam, vt supra diximus, per professionem vel vota eius non aliam obligationem aliquis sibi imponat præter eam, quam author regulæ imposuit, sed solum promittitur se subiicere illi. Secundæ autem confirmationi ex modo loquendi sanctorum in num. 3. respondetur, verba illa Hieronymi accommodatè non intelligenda esse: nam cum ait, *Te perfectum fore pollicetur is*, non intelligit aliquem promittere se consequaturum perfectionem, sed in statu perfectionis permanens, ad quem statum spectat nihil præter Christum habere, id est, nec proprium aliquid, nec seculi, aut matrimonij curas, neque aliam voluntatem, nisi eius qui Christum representat. Quæ in tantum cadunt directè sub promissione, in quantum pertinent ad tria substantialia vota religionis: & hoc modo intentione seruandi regulam, quatenus hæc continet, vel determinat secundum peculiarem modum suum, est de necessitate præcepti: reliqua verò sunt ad melius esse, vel in eo gradu necessaria, in quo per regulam proponuntur. Atque hæc intentio sufficit vt quis habeat propositum proficiendi substantialiter, vt sic dicam, & consequenter ad non deficienti simpliciter gratiæ Dei. Et ita cum proportionem accommodari poterit vulgaris illa sententia, in via Dei non progredi deficere est, quia non progredi in substantialibus & necessariis, erit substantialiter deficere: non progredi autem in consiliis, erit deficere in perfectione tantum: & sæpe erit defectus venialis, non autem substantialis defectus.

Illam verò sententiam, *In via Dei non proficere, & deficere. vel non progredi, & retroredi*, quæ frequenter est apud Bernardum, quam apud alios Patres, intelligi potest vel formaliter & rigorose, vel casualiter seu conſuetudinè ac morali modo. Prior sensus non est verus, quia etiam quis in gratia non crescat, si non peccet, non ideo regreditur in via Dei. Vnde formalis dixit August. serm. 15. de verbis Apostoli. *Semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via remanere, noli retro redire, noli deuiare. Remanes qui non proficis, retro redis qui ad ea reuertitur vnde iam abſiſſeris, deuias qui apostatas.* Secundus ergo sensus est intentus à Bernardo: nam, quia in hac vita non potest homo carere omni operatione, ideo necesse est per eam aut deficere, aut proficere. Sicque dixit idem Bernard. epist. 51. & epist. 341. *In hac vita mortalis nihil in eodem statu permanet, aut ascendas necesse est, aut descendas.* Vnde illa sententia non est religiosorum propria, sed omnibus iustis communis est. Dum autem sic dicitur deficere qui non proficit, non intelligitur de defectu mortalis culpæ, imò nec de diminutione ipsius charitatis in seipsa, quæ diminui nullo modo potest, sed intelligitur de defectu alicuius venialis culpæ, vel de defectu in acquirendo aliquo morali vicio: aut de augmento alicuius ordinatæ affectionis, quæ eursum, vel facilitatem virtutis impediatur. Atque ita intellecta illa sententia, nihil ad præsentem causam facit. Addo etiam, præsertim intendere dictos Patres docere periculosum esse in hac vita existimare aliquem se satis proficisse, & ideo desistere à cura & sollicitudine proficiendi. Sic dixit Bernardus dicta epist. 51. *Quamquam*

Namque iustus a bitratu se comprehendit; nunquam dicitur iustus esse; sed semper est iustus, sitque iustitiam. Iusta inferiori subdit; si iustitiam perfectionem esse perfectum est: profecto nolle proficere, desicere est. utique a perfectione, non statim a gratia; nisi tanta sit superbia, vel animi relaxatio, ut hominem in eo periculo constituat. Quo sensu dixit etiam August. dict. serm. 15. Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id, quod peruenies: nam ubi tibi placuisse, tibi remansisti; si autem dixeris, Sufficit, & peristi.

XXVII. Ad ultimam confirmationem iam responsum est, regulam religionis, de qua agimus, vel non obligare ad aliquam culpam, vel solum ad veniam: neque ex consilia illa, & generali ratione non seruandi huiusmodi regulam, insurgere materiam grauis culpæ, scilicet contemptu, & periculo, ut iam explicatum est.

XXVIII. Ad rationes pro altera parte factas respondetur in primis optime probare illud propositum non esse peccatum mortale, nisi vel grauem contemptum includat, vel hominum morali periculo mortaliter peccandi exponat. Virumque autem quando contingat, iam explicatum est: nec de toto primo discursu in num. 5. & 6. aliquid amplius dicere necesse est. In prima verò confirmatione in num. 7. addo, recte etiam probati, propter solam rationem mendacij vel simulationem hoc non esse peccatum mortale, nisi propositum extendatur ad transgressionem voti: quam transgressionem mendacium vocat Hieronymus in loco citato, & de illo dicit occidere animam. Illo autem scilicet, nullam rationem mortalis peccati in hoc inuenio, imò nec veram rationem mendacij, aut formalis simulationis, nisi quis directe intendat decipere alios. Vnde etiam, in ipsamet professione si quis intendat verè profiteri, non habeat tamen intentionem seruare regulam, apud homines non mentitur, quidquid sit apud Deum, quia verè intendit quod per verba profert. Quod si audientes plus concipiunt, non est ex vi actionis vel prolationis exterioris, sed quia bene presumunt de assumente talem statum, dum contrarium non apparet: alter autem eos non decipit, licet decipi sinat, quod non semper mendacium est. Vnde, etiam religiosus malè viuat, non mentitur deferens habitum, etsi ratione illius ab aliis credatur honestè viuere: quia non tenetur se prodere, etiam si alij fallantur. Maxime quia in factis, & vestibus principalis finis non est significatio, ut in verbis, sed vñs: & ideo frequenter sine mendacio assumuntur propter vñm, etiam si alij in significatione fallantur. Cum ergo D. Thom. ait, committere quempiam mendacium vel simulationem cum ab intentione perfectionis deiecit, præcipue intelligendum puto respectu DEI: quia non intendit seruare quod ei promittit, sicut de Hieronymo dicebam. Si autem exponatur etiam respectu hominum, intelligendus erit, si quis directe intendat simulationem & hypocrisiam, alioqui erit tantum materialis simulatio.

XXIX. In secunda confirmatione, ad noto, verissimum esse Episcopos non esse in peccato mortali, eo quod non intendant consequi perfectionem charitatis per opera consiliorum & supererogationis, scilicet contemptu, & morali periculo non seruandi quæ illis præcepta sunt, prout hæc sunt à nobis explicata, nam omnia quæ diximus, maiori ratione habent locum in Episcopis: quia ipsi nullum votum faciunt tendendi ad perfectionem, vel seruandi consilia, præter castitatem: quod non habent ut Episcopi, sed ut clerici in sacris. Scilicet autem voto, illa ratio mendacij, quæ in eis consideratur, vel nullus vel parui momenti est, ut declaravi. Quia verò ratione status obligantur specialiter ad Fran. Suarez de statu relig. tom. 4.

quædam opera perfectissima, ut ad ponendam animam pro omnibus, & ad subueniendum illis in necessitatibus spiritualibus, & corporalibus, ideo tenentur esse in præparatione animi ad hæc opera saltem pro temporibus & opportunitatibus, in quibus sub obligationem cadunt: tunc ergo essent in statu peccati mortalis, quando haberent intentionem huic præparationi animi contrariam, quæ iam non esset intentio non seruandi consilia, verum etiam nec præcepta. Sic ergo tenentur Episcopi ex vi status habere intentionem perfectè viuendi, id est, perfectissima opera charitatis & iustitiae exequendi quando fuerint necessaria: & quia per consiliorum obseruationem ad hoc bene disponuntur, rectè faciunt illa obseruando: non possumus tamen illis attribuire præceptum habendi hoc propositum cum fundamento nisi ad tollendum contemptum, vel periculum morale, ut explicatum est.

In vltima confirmatione iam constat per se non esse peccatum mortale deliberatum propositum non seruandi vnam, vel aliam regulam, neque illud sufficere ad contemptum, nisi includat obstinatum animum non parendi regulari disciplinæ in transgressione talis regulæ, vel nisi includat aliud genus periculi & contemptus à nobis expostiti. Est autem hoc discrimen inter generale propositum circa totam regulam, vel particulare circa vnam aut aliam, quod facilius potest illa generalis deiectione animi vergere in contemptum, vel constituere hominem in graui periculo, ut per se clarum videtur. Et hæc etiam solam differentiam inuenio inter illam intentionem generalè, & executionem in frequenti transgressione regulæ: nam hæc moraliter contingit ex sola fragilitate, & ex particularibus affectibus vel negligentis, quæ in diuersis occasionibus occurrunt: & ideo in illa non est tanta occasio perueniendi ad contemptum, sicut est in formali deliberatione, aut proposito.

CAPVT V.

Virum teneatur religiosus non dimittere suum habitum.

Occurrebat primo dicendum hoc loco de monachorum habitu singulari an conuenienter introductus sit, & ex quo tempore, & qua ratione, postea mori ac fructu. Nam hæretici huius temporis sicut religiosorum statum odio habent, ita in eorum habitum & ceremonias vehementer inuehuntur. Veruntamen hoc labore liberauit nos eruditissimus Bellarmin. qui lib. 2. de Monachis, cap. 40. rem hanc diligenter expedit: & ex his quæ adducit, constat morem hunc ab initio nascentis Ecclesiæ incepisse. Imò si antiquiora etiam tempora inspicimus, inuenimus Eliam, Ioannem Baptistam, & alios, qui austerius vitæ genus professi sunt, in exteriori habitu id demonstrasse. Vnde Chrysostom. homil. 69. in Matth. dicit monachos habitum imitari Eliam, & Ioannem. Et Dionysius c. 6. Ecclesiast. hierarch. commemorat antiquum morem mutandi habitum in professione monachatus. Sacerdos (inquit) signo crucis eum consignatum condet, omnique veste detracta, eum alia induit. Cassianus lib. 1. de instit. renunciant. per multa capita habitum monachorum describit, & per singulas eius partes mysticas illius rationes reddit. Tractat etiam Basiliius in reg. fulias disputatis c. 22. attingens potius rationes morales, vel, ut ita dicam, vñales illi statui accommodatas.

II. Duplex enim est præcipua causa, ob quam peculiaris habitus religiosus tributus est. Vna comprehendit varias rationes morales, scilicet vñs pauper-

II.

Secunda superpositio de causis prædictis moris.